apertè adversatur) idem omnino statuere oporteret. Ad hæc plerique doctores (quos inter & ipse est STRYCKIUS *dict. tit. de fidejuss.* §. 19.) in ea sunt opinione, quod fideiussori (ùt ùt se, *ceu debitorem principalem*, expressis verbis obligaverit) adhuc pateat dictum beneficium excussionis; quam igitur ob causam ademptum sit ei, qui huiusmodi formulâ usus non est? Minùs tolerabile videtur, quod, donare, sit putandus. Hoc si ita; quidnî idem rursùs de fidejussore mulieris (quod tamen omnes horrent) dicamus? Nemo, nisi clare id exprimat, liberalis, nemo suum iactare censetur.

CAPUT II.

DE FIDEJUSSORE MINORIS.

13. Quoties minor ob eas causas, quas cum majoribus communes habet (doli nempè, metûs, absentiæ &c.) restituitur; nemo omnium est, qui negat, restitutionem hanc prodesse fidejussori. Quæ ratio? certè hæc, *ne plus* (intensivè, extensivè) *sit in accessione, quàm in re principali.*

14. Sed an his duntaxat in causis restitutio minoris prosit fidejussori? Absit: nam &, quæ solis minoribus sunt propriæ, vires suas in eosdem (fidejussores puta) diffundunt. „ Minor viginti „ quinque annis (Sic ULPIANUS *in Leg.* 51. *ff.* „ *de procur.*) si defensor existat, ex quibus causis „ in integrum restitui potest, defensor idoneus „ non est: quia ipsi, & *fidejussoribus ejus per in* „ *integrum restitutionem succurritur.* „ Addamus huic SCÆVOLAM in *Leg* 89. *ff. de adqui. Vel omitt: hæredit.* „ Si pupillus (ita ait) se hæreditate ab- „ stineat; *succurrendum est & fidejussoribus ab eo* „ *datis, si ex hereditario contractu convenirentur.* „ Sed hic quæ ratio? non alia, quàm toties jam allata: *nempè ne plus sit in accessione, quàm in re principali.*

15. Non immeritò igitur mireris, quid sit, quôd (quoties minor ætatis causâ restituitur) ejus fidejussorem tam simpliciter tamque universè ex JULIANI tollant regulâ. Tu verò ex his discas periculum (quin & apertum damnum) adversantis doctrinæ: nempè, quàm falsè dicatur, quod ejusmodi fidejussor *reverà fiat debitor principalis;* quodque, *donare velle censeatur.*

16. At, inquis, leges obloquuntur novellæ doctri-

doctrinæ. Ecquæ istæ? lex (hæc regeris) 13. *ff. de minor.* Lex 1. & 2. *Cod. de fidejuss. minor:* lex 7. *in fin. ff. de except.* itanè vero? ostendemus infra *num.* 23. memoratam *leg.* 13. *ff. de minor.* eximiè doctrinæ nostræ favere; hancque non novellam, sed cum ipsâ jurisprudentâ natam, evincemus.

CAPUT III.

DE

FIDEJUSSORE FURIOSI ET PRODIGI.

17. Ipsi adversarii (dum quærunt, quid de fidejussore furiosi & prodigi sit statuendum) in diversas secedunt vias. Placet benè multis, obligari fidejussorem; debitor principalis licet ne naturaliter quidem possit obligari. Atque sectæ huic, post alios, adhæret laudatus STRYCKIUS loco suprà *num.* 2. indicato. Robur verò doctrinæ ponit *in leg.* 25. *ff. de fidejuss.* „ MARCELLUS scribit (ita ibidem ULPIANUS) „ siquis pro pupillo sine tutoris authoritate obli- „ gato, *prodigove, vel furioso* fidejusserit, magis „ esse, ut ei non subveniatur: quoniam his man- „ dati actio non competit. „